

DESCRIPTIONES

PLANTARUM
RARIORUM ICONIBUS
ILLUSTRANDAS,

CUM EARUM, QUÆ PRIMO PROXIMEQUE
PRODITURO FASCICULO CONTINE-
BUNTUR, ELENCHO,

PROGRAMMATE,

QUO LECTIO NES IN HORTO BOTANICO AO. 1772.

AUSPICATUR, INDICIT

CHRISTIANUS FRIIS
ROTTBÖLL,

ANATOMIAE ET BOTANICES IN UNIVERSITATE
HAVNIENSI PROFESSOR.

HAVNIAE,

LITTERIS N. MÖLLERI, REG. MAJ. TYPOGR. AULICI.

1772.

Bst Gærd
48
R 744

43473


Apr. 25, 1938

{



§. I.

Firmissimum, cui rei botanicæ certitudo & stabilitas innititur, fundamentum, Descriptiones accuratæ regulisque sanis accommodatæ constituunt; Hæ artis cultorem de classe & ordine, quem in Systemate naturali & artificiali occupare debet Planta, instruunt; Num eadem novum requirit genus, vel ad aliquod jam notum referri debet, monstrant; Ad speciem, quam antea visa planta intrabit, ducunt; vel per notas & characteres constantes, differentias specificas legitimas condere docent, quo efficitur, ut nova & ab omnibus hæc tenus notis distincta constituatur species, cujus notitiam omnes, quorum interest, comparare sibi valent.



§. II.

Ad plenam tamen claramque Plantæ cognitionem acquirendam (pace secus sentientium hoc dixerim) Descriptiones licet optimæ vix solæ sufficiunt, nisi simul accedant delineationes, quibus, si laudabiles fuerint, atque accuratæ, imago vividior, multoque diutius & tenacius menti inhærens, ac si e descriptione sola orta esset, generatur. Idea distinctissima de tota stirpe, de proportione partium inter se, & ad totam, de modo crescendi, germinandi, florendi sic comparatur. Sola inspectio momento oculi id monstrat, quod optima descriptio sine prolixa oratione, tædioque plenis ambagibus exhibere nequit; Cuncta jam dubia, quæ scrupulosus nimiumque cautus contemplator de præsente planta fovet, penitus evanescunt, dum comparatio cum iconে diversitatem, vel convenientiam ad oculum monstrat.

§. III.

Si summa autem obtineatur perfectio, recentes, vivasque plantas requirunt tam descriptiones, quam icones, sed cum ob enormem soli natalis distantiam difficultates insuperabiles

Botanicis

Botanicis curiosis has cominus inspiciendi ob-
jiciuntur, in hoc statu rarissime descriptioni-
bus & figuris illustrari queunt. Notitiam igit-
tur de insigni stirpium numero desideraremus,
nisi summæ huic perfectioni renuntiassent Botanici.
Dura sic fecit necessitas, ut majori
fere copia descriptionum & iconum ad siccas,
quam vivas plantas factarum gaudeamus.
Nec tamen eodem loco omnes descriptiones
& icones habendæ, cum, cæteris paribus,
natura & fabrica ipsius stirpis perfectioni limi-
tes præfigit; Quo plus enim de hac posteriore
exsiccatio mutat, & destruit, eo imperfectior,
& ab archetypo remotior erit utraque priorum.
Plantarum igitur, quæ parum omnino
exsiccatione, & ætate perdunt, ut Filices,
Musci, Lichenes, Gramina, & descriptiones
& icones naturam proxime attingere valent.

§. IV.

Tolerabile vix exstruet ædificium optimus Architectus, si ipsius nütum secuturi fabri operarii mandatas male tuentur provincias. Architecti vice fungitur Systematis cuiusvis concinnator, fabrorum vero descrip-
tores, atque delineatores, qui si descriptiones



vagas, & icones vitiosas Magistro offerunt; errores innumeros, atque confusiones vix superabiles Systemati suo intexat, necesse est. Fons ergo errorum in hodiernis Systematibus præcipuus e defectu, & lapsibus descriptio-
num & iconum, quibus superstruuntur, emanat; Nec certitudo generum & specierum, aut historia stirpium alicujus frugi sperari un-
quam potest, nisi antea expoliantur, emen-
dentur, atque perficiantur descriptiones & fi-
guræ, quam longe ergo a sua perfectione ab-
est Botanica!

§. V.

Recentioribus temporibus huic scopo intenti fuerunt viri celeberrimi: *Linnæus*, *Hallerus*, *Buurmannus*, *Jacquinus*, *Schre-
berus*, *Millerus*, &c. descriptionibus exquisi-
tissimis, atque figuris pulcerrimis securitati
Systematum consulere docuerunt; Innatum
mihi fervensque desiderium Venustam stirpi-
um Deam mola falsa litandi, tot tantaque e-
gregia incitarunt exempla; Fortuna etiam
votis annuit benevola, qvæ e diversis, atqve
remotissimis regionibus per varios non prævi-
fos casus maxima plantarum rarissimarum co-

pia

pia me beavit; At distulisse forte per tempus
 hoc nunquam non mihi gratum negotium
 Humi repens tutus nimium timidusque
 procellæ,
 nisi deniandata non ita diu in horto Academi-
 co provincia tergiversantem & pene invitum
 inter tot scriptores egregios in arenam pro-
 trusisset; Nimis enim justo metuo, ne, dum
 signaviæ, & torporis culpam declino, in re-
 prehensionem temeritatis, atque imperitiæ
 incurram. Sed jacta jam est alea, per fasci-
 culos descriptiones & icones edere decrevi, i-
 nitium facturus a graminibus, atque cognatis
 plantis, non modo ob majorem, qua bene
 exhibeantur facilitatem, sed in primis ob mag-
 nos hiatus & lacunas, quas hac in scientiæ
 parte reliquerunt Authores alias egregii.

§. VI.

Paucis hisce pagellis rationem operis
 dare, imprimis vero Genera & Species, quas
 primus continebit Fasciculus, cum notis &
 characteribus suis recensere constitui. *Restio*,
Chondropetalum, *Cyperus*, *Schænus*, & *Scir-
 pus* erunt ea, quæ pertraetabuntur Genera,
 2 posterioribus jungentur *Schænoides*, &
 A 4 *Scirpoides*,



Scirpoides, plantæ nimirum, quæ sub larva Schæni & Scirpi structuram in partibus fructificationis adeo singularem celant, ut nova Genera, quorum nomina opus ipsum prodet, constituant. In cunctis his generibus, imprimis vero Restione, Schæno, & Cypero multas novas atque pulcas species invenient futuri Lectores; Icones idoneas, atque nitidas non solum harum, sed etiam cognitarum alias specierum, quæ adhuc desideratae fuerunt, habebunt. Ad paucas ramuli, vel pedunculi florum glomerulis onusti modo exhibentur, & ut in antecessum, quid sperandum habeant, cuncti sciant, singulæ speciei, quæ aut tota & integra, aut umbella terminali completa exhibetur, stellam (*); cuius parva modo umbellæ particula delineata videtur, crucem (†) in praesenti opella præfixi; descriptionibus solis illustratam sine signo reliqui. Tabulæ 16. ad 18. in folio, omnes, una alteraque excepta, plures exhibentes plantas Primo jungentur Fasciculo; Figuris ipsis, ubi necesse fuerit, anatomia fructificationis apponetur; Icones hæc, cum solerti manu artificis intelligentis & Botanices probe gnari sunt confectæ, non difficulter favorem Eruditorum impe-

iimperabunt; Quam vellem! ut hunc etiam meis polliceri possem descriptionibus. Quod singulæ speciei in structura atque fabrica privum & peculiare credidi, in descriptione exponere annis sum. Medium inter fastidiosam prolixitatem, & festinantem nimis, nec exsatiantem brevitatem tenere allaboravi; Num autem, quod volui, ubique præstici, non meum, sed virorum in arte excellentium erit judicare.

§. VII.

Plantas, quibus in hac opella litera K. adscripta videtur, Medicus atque Botanicus egregius *Königius* indefessa industria, & lynceis oculis in itinere, quo stationem suam in regione Malebarica adiit, indagavit, cui hodierni & futurorum seculorum Botanici haec de causa semper erunt obstrieti; Quæ super sunt non paucæ aliis debentur indagatoribus, quorum nomina ad descriptiones cum laude celebrabo; Hæc præmonenda duxi, sequuntur jam ipsa cum suis speciebus Genera.

RESTIO. Charakter Generis. Flores amentacei dioici incurvi 3 quetri. *Masculis Perianthium 3 phyllum irregulare magnitudine*



Cerollæ. *Corolla* Petala 3 oblongo-linearia marcescentia, 3^{io} latiore stamina includente. *Stamina* 3, antheris lineari-cymbiformibus. *Fæminis Perianthium & Corolla*, ut in Mare. *Germen* 3 quætrum, magnitudine fioris, *styli* 3 cirroſi reflexi.

*. 1. *RESTIO dichotomus*, scapis floriferis, longissimis, panicula filiformi, nutante, laxa; spicis oblongis squarroſis. K.

Schænus Capensis, culmo tereti, ramosissimo, vaginato; spicis ovatis nudis dichotomis pendulis. Linn. Sp. pl. Tom. I. p. 64.

Restio. Linn. Syft. Naturæ Tom. 2. edit. 12.

ADDENDA: pag. 735.

*. 2. *RESTIO triflorus*, culmis teretibus, erectis, vaginis membranaceis, bifidis; spicis cylindricis tenuibus, subternis. K.

*. 3. *RESTIO vimineus*, culmo prostrato; ramis filiformibus, secundis, ascendentibus; spicis terminalibus, pluribus. K.

*. 4. *RESTIO paniculatus*, panicula sesquipedali multiflora; spicis oblongo-ovatis; squamis ovatis, carinatis, margine coloratis. K.

*. 5. *RESTIO virgatus*, ramis subternis, culmum superantibus, sterilibus; floribus racemosis, glomeratis. K.

*. 6.



- *.6. RESTIO *distichus*, spica simplici, terminali, oblonga, disticha; squamis lanceolatis, acutissimis, basi truncatis, patentibus. K.
- *.7. RESTIO *compressus*, culmo ramisque compressis; spicis terminalibus pluribus, alternis, distichis. K.
- *.8. RESTIO *Triticeus*, culmo tereti, subgeniculato, filiformi; spica composita flexuosa; spiculis transversis. K.
- *.9. RESTIO *Thyrifer*, Thyrso oblongo terminali, spathis alternis maximis in lobos diviso. K.

Conferatur cum Elegia Linnæi Mantiss.
Plant. altera, Pag. 162. & 296., digynus
est; Mares non vidi.

CHONDROPETALI Character Genericus.

Flores amentacei, dioici, incurvi, 3 quetri, *Masculis Perianth*: Fol. 3. corolla 3plo breviora. Petala 3 cartilaginea rigidissima; 2 navicularia compressa acutissima; 3tio lanceolato plano erecto. Stamina, Filamenta 3 membranacea, antheris cymbiformibus.

Fæminis Calyx & Corolla ut in mare' fere.
Pistillum. Germen compressum angulatum.



tum. Styli 3 pubescentes, patentes; stig-
mata simplicia.

*. 10. CHONDROPETALUM *deustum*, culmo
compresso simplicissimo; spica terminali,
secunda; bracteis interstincta. K.

Hic solos masculos flores vidi.

*. 11. CHONDROPETALUM *nudum*, spicis cy-
lindricis, glomeratis, nudis. K.

Hujus fæminas modo vidi.

SCHÆNUS. Chara^cter Generis.
Spicæ Squamis imbricatæ. *Squamæ inferio-
res* duobus plures, steriles, ut plurimum
rigidæ. *Superiores* molliores; singulæ flori-
feræ. *Stamina* 3. *Germen* triquetrum. *Sty-
lus* unicus 2 vel 3 fidus.

*. 12. SCHÆNUS, culmo tereti, vaginis colo-
ratis lucidis; spicis distichis, aristatis,
singulis simplicibus, spatha unica cinc-
tis. K.

Schænus ustulatus culmo tereti folio-
so, spicis, pedunculatis pendulis, oblon-
gis, aristatis. Linn. Mantiss. altera. p. 178.?

*. 13. SCHÆNUS, culmo tereti; spicis alternis
aristatis; singula composita spiculis plu-
rimis per totidem bracteas interstinctis.

Schænus

Schænus thermalis; culmo triquetro folioso, capitulis lateralibus compositis subfessilibus, foliis ensiformi carinatis. Linn. Mantissa alter. pag. 179.

- *. 14. SCHÆNUS, scapo tereti striatissimo; spicis glomeratis; bracteis subulatis. K.

Schænus compar culmo tereti nudo, spica composita spiculis geminatis. Linn. Mantiss. alt.

- *. 15. SCHÆNUS *cuspidatus*, scapis teretibus; panicula linearis, tenuissima; bracteis annularibus, obliquis, longissime mucronatis. K.

- *. 16. SCHÆNUS *fasciatus*, foliis longissimis, setaceis; vaginis coloratis; floribus tenuissimis, aristatis. K.

- *. 17. SCHÆNUS *Polymorphus*, culmo subnudo triquetro; involucro mucronato, diphyllo, inæquali, ciliato. K.

Scirpus ferrugineus culmo triquetro subnudo, involucris longitudine paniculæ ciliatis, Linn. sp. Plant. P. I. p. 74.

Scirpus spadiceus, culmo triquetro nudo, umbella subnuda, spicis oblongis, fessilibus, terminalibusque. Linn. Sp. Plant. P. I. p. 74?

Scirpus



Scirpus mutatus, culmo triquetro nudo, spica cylindrica terminali. Linn. Sp. Plant P. I. pag. 71?

Inter Siccas Königii varietas est *Scirp. ferr.* Linn. spica unica terminali, cui nulla non nota Sc. mutati competit.

18. *SCHÆNUS setaceus*, culmo triquetro foliisque setaceis; spicis aggregatis; floribus diandris.

19. *SCHÆNUS Cephalotes*, culmo folioso triquetro, involucro tetraphyllo, deflexo, capitulo terminali oblongo.

Scirpus Cephalotes culmo triquetro nudo, capitulo ovato squarofo, involucro triphylllo longo. Linn. Sp. Plant. P. I. p. 76. excluso Synonymo Brounii.

20. *SCHÆNUS Surinamensis*, culmo folioso triquetro, pedunculis corymbosis, inferioribus alternis, superioribus in umbellam aggregatis.

SCHÆNOIDES. Charakter Genericus. *Calyx* gluma bivalvis lanceolata, acuta; altera valvula longiore. *Corolla* bivalvis calyce multo longior; valvula altera breviore apice reflexa. *Stamina* 3. *Germen* obovatum; altero margine gibbum.

bum. *Stylus unicus* apice 2. & 3 fidus
Stigmata simplicia.

- *. 21. SCHÆNOIDES culmo filiformi 3 quetro;
 capitulo globoſo ſeffili; involucro tetra-
 phyllo longiſſimo. K.

Schænus coloratus, culmo triquetro,
 involucro longiſſimo plano, variegato.

ꝝ. Linn. Sp. Plant. P. I. p. 64.

- *. 22. SCHÆNOIDES *brevifolius*, culmo ſeta-
 ceo, monophyllo; involucro triphyllo
 brevi; capitulo ſeffili, terminali. K.

- *. 23. SCHÆNOIDES *triceps*, capitulis glome-
 ratis, ſubternis, ſeffilibus. K.


ꝝ. Scirpus glomeratus culmo triquetro
 folioſo, capitulo glomerato, involucro
 folioſo, Linn. Sp. Plant. P. I. pag. 64.

Cyperus Maderaspatus, minimus,
 Xanthoides. Scheucz. Agrostogr. p. 401.
 Tab. IX. Fig. II.

- *. 24. SCHÆNOIDES *Paniceus*, culmo ſetaceo
 triquetro; ſpicis cylindricis; floribus
 3 quetris ſubulatis. K.

- *. 25. SCHÆNOIDES, culmo triquetro; um-
 bella ſtriętiffima, ſimplici; floribus con-
 fertis, reflexis. K.

Scirpus



Scirpus Cyperoides; culmo triquetro, nudo; umbella simplici; spicis oblongis, flosculis subulatis, unifloris, reflexis. Linn. Mantissa altera, pag. 181.

CYPERUS. Character Generis, ut in Linnæo.

26. CYPERUS *articulatus*, culmo tereti, nudo, articulato, Linn. Sp. Plant. P. I. p. 66.

*. 27. CYPERUS culmis setaceis; spica minima, ovata; involucro monophyllo, mucronato, nutante. K.

Cyperus Monostachyos, culmo triquetro, nudo; spica simplici ovata terminali; squamis mucronatis. Linn. Mantissa altera P. 180? vix.


Scirpus culmo nudo setaceo, spica solitaria sub 3 flora. König. M. S. S.

*. 28. CYPERUS *effusus*, culmo tereri, subligneo; umbella rara; spicis conglomeratis; involucro subulato, 3 phyllo.

*. 29. CYPERUS *conglomeratus*, foliis fasciculatis, strictissimis, canaliculatis, sesquipedalibus; culinis sub 3 quetris; capitulo paniculato terminali, 3 phyllo.

*. 30.

- *. 30. CYPERUS *lævigatus*, culmo triquetro nudo, capitulo diphyllo, floribus lævigatis. Linn. Mantissa alt. P. 179. K.
- *. 31. CYPERUS *mucronatus*, scapo nudo triquetro vaginato, involucro monophyllo stricto, spicis subternis sessilibus.
- t. 32. CYPERUS *Italicus*, culmo triquetro setaceo; capitulo terminali; involucro polyphyllo, longissimo. K.
Scirpus Michelianus culmo triquetro, capitulo globoso, involucro polyphyllo longo. Linn. Sp. Plant. P. I. p. 76.
- *. 33. CYPERUS *cruentus*, culmo triquetro; involucro polyphyllo longo; umbella simplici; spicis conglomeratis; flosculis sulcato - punctatis.
- *. 34. CYPERUS *Squarrosum*, culmo triquetro folioso; umbella foliosa, glomerata; spicis linearibus, striatis, squarrosum. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 66. K.
- *. 35. CYPERUS *Haspan*. culmo triquetro, folioso; umbella supra - decomposita; spiculis umbellato - sessilibus. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 66. K.



- *. 36. CYPERUS *rotundus*, culmo triquetro; subnudo; umbella decomposita; spicis linear - lanceolatis, alternis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 67.?
- *. 37. CYPERUS *Pangorei*, culmo triquetro; involucro triphylllo; umbella decomposita, partialibus sub 3 fidis, spicis linearibus, alternis.
- *. 38. CYPERUS *tuberosus*, culmo 3 quetro, basi folioso; involucro 3 phyllo; umbella subsimplici; spicis lanceolatis teretiusculis. K.
- *. 39. CYPERUS *fastigiatus*, culmo triquetro; umbella decomposita, Pedunculis longissimis apice sub 5 fidis, spicis plurimis linearibus sparsis. K.
40. CYPERUS *serotinus*, umbella universali decomposita foliosa, partialibus nudis subtrifidis, spicis teretiusculis alternatim pinnatis.

Cyperus serotinus odoratus radice longa, paniculis e loculis latis ferrugineis compactis. Mant. Prodr. Tab. I. Fig. 2. Scheucz. Agrostogr. p. 380.

- *. 41. CYPFRUS *corymbosus*, involucro polyphyllo, umbella supra-decomposita, pedunculis filiformibus coryimbosis, striatis. K.

Scirpus *corymbosus*, culmo triquetro folioso, corymbis lateralibus simplicibus, terminali prolifero, spicis subulatis? Linn. Sp. Pl. P. I. p. 76.

- *. 42. CYPERUS culmo folioso triquetro, involucro tetraphyllo, umbella composita, spicis alternis oblongo-lanceolatis, coloratis, nitidis. K.

Cyperus *pumilus*, culmo triquetro nudo, umbella diphylla composita, spiculis alternis digitatis lanceolatis, glumis mucronatis? Linn. Sp. Pl. P. I. pag. 69.

- *. 43. CYPERUS *difformis*, culmo triquetro subnudo, umbella diphylla simplici 3 fida, spicis linearibus conglomeratis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 67.

- *. 44. CYPERUS *Santonici*, culmo 3 quetro, paniculis sessilibus & pedunculatis, spicis linearibus, flosculis alternis remotis obtusissimis. K.



- Cyperus Maderaspatanus, paniculis semen Santonici æmulans Petiverii. Scheucz. Agrostogr. p. 90. Tab. 9. Fig. 2.
45. CYPERUS *Iria*, culmo 3 quetro semi-nudo, umbella foliosa decomposita, spiculis alternis, granis distinctis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 67.
- *46. CYPERUS *Alopecuroides*, culmo tri-quetro, umbella supra-decomposita, spicis digitatis oblongis, spiculis confertissimis imbricatis.
- *47. CYPERUS, culmo 3 quetro nudo, umbella foliosa supra-decomposita, spicis digitalibus subternis filiformibus.
- Cyperus elatus, culmo 3 quetro nudo, umbella foliosa supra-decomposita, spicis digitalibus imbricatis, spiculis subulatis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 67.
48. CYPERUS *elegans*, culmo 3 quetro nudo, umbella foliosa, pedunculis nudis proliferis, spicis confertis, mucronibus patulis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 68.
49. CYPERUS *Surinamensis*, culmo 3 quetro nudo, umbella decomposita, spicis oblongo ovatis conglomeratis.

50. CYPERUS, culmo 3 quetro nudo, umbella supra-decomposita sesquipedali, spicis confertissimis subulatis.

Cyperus odoratus, culmo 3 quetro nudo, umbella decomposita simpliciter foliosa, pedicellis distiche spicatis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 68.

*. 51. CYPERUS *compressus*, culmo 3 quetro nudo, umbella universali 3 phylla, glumis mucronatis latere membranaceis? Linn. Sp. Pl. P. I. p. 68. K.

52. CYPERUS *sphacelatus*, culmo 3 quetro, umbella simplicissima spicis linearibus alternis compressis, flosculis margine sphacelatis.

53. CYPERUS *fucus*, culmo 3 quetro nudo, umbella multifida, pedunculis simplicibus, inæqualibus, spicis confertis inæqualibus. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 69.

*. 54. CYPERUS *Polystachyos*, culmo 3 quetro, involucro polyphylllo, Panicula terminali, subsessili, ramosissima, spicis linearis lanceolatis complanatis confertissimis. K. Plukenet. Tab. 416. Fig. 6.



- *. 55. CYPERUS culmo 3 quetro, involucro
4 phyllo, panicula terminali peduncu-
lata, spicis linearibus torosis confertissi-
mis patentibus. K.

Cyperus strigosus, culmo 3 quetro
nudo, umbella simplici, spiculis linearibus
confertissimis horizontalibus? Linn.
Sp. Pl. P. I. p. 69.

- *. 56. CYPERUS *Paniculatus*, culmo 3 quetro,
involucro hexaphyllo, panicula sessili
terminali densissima, spicis compressis
linear-lanceolatis innumeris.

Gramen Cyperoides Americanum spi-
cis speciosis plurimis compressis, sum-
mo caule absque pediculo; adnatis.
Pluk. Tab. 91.

- *. 57. CYPERUS *involucratus*, culmo sulcato
3 quetro, involucris alternis, peduncu-
lis axillaribus solitariis; terminalibus
umbellatis corymbiferis.

- *. 58. CYPERUS *aristatus*, capitulis oblongis
sessilibus, & pedunculatis, spiculis li-
nearibus, minimis, flosculis subulatis
reflexis. K.

Scirpus



Scirpus capitatus, culmo tereti folioso, capitulis axillaribus pedunculatis, involucro diphyllo linear. Buurm. Fl. Ind. p. 21.

Scirpus intricatus, culmo 3 quetro nudo, umbella foliosa simplici, flosculorum squamis subulatis recurvatis. Linn. Mantiss. alt. p. 182.

- *. 59. CYPERUS, umbella simplicissima, polyphylla, capitulis terminalibus oblongo-ovatis, spiculis ovatis, compositis, concavis.

Scirpus Luzulæ, culmo 3 quetro nudo, umbella foliosa prolifera, spiculis subrotundis? Linn. Sp. Pl. P. I. p. 75.

- *. 60. CYPERUS *ligularis*, culmo 3 quetro, umbellæ spiculis capitatis, oblongis, sessilibus, involucris longissimis ferrato-asperis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 70.

61. CYPERUS *Papyrus*, culmo 3 quetro nudo, umbella decomposita, pedunculis umbellatis, pedicellis simplicibus distiche spicatis. Linn. Sp. Pl. P. I. p. 70.



- *. 62. CYPERUS *feminicus*, culmo incurvo
3 quetro, basi bulboso, foliis fascicula-
tis setaceis, umbella simplicissima, spi-
cis conglomeratis.

SCIRPUS. Charakter Generis. Spi-
ca undique imbricata squamis floriferis.
Stamina 3. *Pistillum* Germen unicum 3 que-
trum, stylo 2 vel 3 fido terminatum.

63. SCIRPUS *articulatus*, culmò tereti nu-
diusculo semigeniculato, capitulo glo-
merato laterali. Linn. Sp. Pl. P. I.
pag. 70. K.

64. SCIRPUS *geniculatus*, culmo tereti nu-
do, spica oblonga terminali. Linn. Sp.
Pl. P. I. pag. 71.

- *. 65. SCIRPUS *Caribæus*, culmis fascicula-
tis setaceis fulcatis triquetris, spica mi-
nima terminali.

Scirpus capitatus culmo tereti nu-
do setiformi, spica subglobosa ter-
minali? Linn. Sp. Pl. P. I. p. 70.

- *. 66. SCIRPUS *nodosus*, culmo compresso
nodoso, capitulo glomerato mucrona-
to. K.



- *. 67. SCIRPUS *bulbosus*, radice bulbosa, scapis teretibus canaliculatis, foliis setaceis rigidis, spica cylindrica terminali. K.

Scirpus trigynus, culmo tereti nudo, spica cylindrica squamis lanceolatis laterali membranaceis? Linn. Mantiss. alt. pag. 180. Dubium movent flores in nostra monogyni.


- *. 68. SCIRPUS *Tristachyos*, culmo nudo setaceo, spicis ternis sessilibus, involucro diphyllo K. capillari proximus.

- *. 69. SCIRPUS *capensis*, scapis foliisque setaceis basi alatis, capitulis glomeratis per bracteas setaceas interstinctis. K.

Schænus bulbosus, culmis triquetris nudis, florum glomeribus alternis, foliis linearie filiformibus. Linn. Mantiss. alt. pag. 178.

- *. 70. SCIRPUS *prolifer*, culmo tereti compresso nudo, capitulis glomeratis, tandem proliferis. K.

- *. 71. SCIRPUS *dichotomius*, umbella decomposita, spicis dichotomiæ sessilibus. Linn. Sp. Pl. P. I. pag. 74.



- *. 72. SCIRPUS culmo 3 quetro nudo, involucro setaceo, panicula verticillata supra - decomposita, spicis centralibus sessilibus.

Scirpus miliaceus culmo triquetro nudo, umbella supra-decomposita, spicis intermediis sessilibus, involucro setaceo. Linn. Sp. Pl. P. I. pag. 75.

- *. 73. SCIRPUS involucro diphyllo, panicula supra - decomposita, spicis terminalibus solitariis, lanceolatis, sub-tetraquetris. K.

Scirpus autumnalis culmo ancipiti nudo, umbella decomposita foliosa, spiculis ovatis? Linn. Mantiss. alt. p. 180.

- *. 74. SCIRPUS *ciliatus*, pedunculis lateribus & terminalibus multifloris, spicis oblongis hirsutissimis, squamis tricarinatis aristatis. K.

Scirpus ciliaris, culmo triquetro folioso, umbellis sparsis, squamis calycinis, aristis ciliatis. Linn. Mantiss. alt. p. 182. Plukenet. Tab. CCCCXVII. Fig. 6.

- *. 75. SCIRPUS capitulo terminali glomera-
to subnudo.

Scirpus Hottentotus, culmo trique-
tro folioso, capitulo subgloboso, squa-
mis lanceolatis hirtis? Linn. Mantiss.
alt. P. 182. K.

- *. 76. SCIRPUS *barbatus*, culmo subtrique-
tro, vaginis sub-oppositis ora superiori
barbatis, capitulo terminali sub-rotun-
do polystachio.

Scirpus parvus Maderaspatanus ca-
pitulo glomerato fusco Scheucz. Ag-
rostog. pag. 370. Pluken. Tab. 299.
Fig. 3?

- *. 77. SCIRPUS *argenteus*, culnis setaceis
3 quebris, involucro 4 phyllo longo,
spicis cylindricis plurimis in capitu-
lum glomeratis.

Mulen-pullu Hort. Malab. P. XII.
T. 54. pag. 101.

- *. 78. SCIRPOIDES *paradoxus*, culmo angu-
lato, foliis lanceolatis, remotis, flori-
bus umbellatis.



Character Generis. *Spica* oblongo-ovata, undique squamis imbricata. *Flos* unicus pedicillatus intra squamam singulam. *Corolla*, *Petala* 3 obcordata, cirrho vel Filo terminata. *Stamina* 3 pedicillo floris extra petala affixa. *Pistillum*, *Germen* 3 quetrum totam corollam explens; *Stylus* unicus, apice bifidus.

*.79. SCIRPOIDES *squarrosum*, culmo setaceo 3 quetro, capitulis lateralibus subternis squarrosis, involucro diphylo stricto. K.

Scirpus squarrosum, culmo triquetro nude setaceo, spicis ternis sessilibus ovatis squamosis. Linn. Mant. alter. 181.

Charact Gen. *Stamina* huic 1, rarius 2. *Germen* triquetrum. *Styli* 2, breves, recurvi.

*.80. SCIRPOIDES *Fabri*, culmo compresso, capitulis solitariis, bracteis maximis obvolutis; Exterioribus longissimo folio terminatis.

Bobartia spicis capitatis involucro majori folioso tectis. Brounii Jamaic.

129.

Diver-

Diverſiſſimus a Sc. Cephalote. Involucrum constans squamis multis, ovatis, acuminatis, hirsutis, multicarinatis totam fructificationem occultantibus, extimis folio reflexo linearī longiſſimo terminatis. Receptaculum intus floribus pedicillatis obtectum; Flos singulus conſtat 2 vel 3 squamis linearibus, patentissimis, villosiſſimis, intra quæ Petalum? convolutum, apice bifidum; Nec stamina, nec stylos in 2bus missis ſpeciminiibus vidi; Velamenta multum diversa a ſcirpis, novum ſine dubio indicant Genus; Quam vellem! ut ex poſtione plena optimo FABRO consecrare poſſem plantam, quam inter tot alias raras ab Insula Stæ. Crucis, ubi amore Plantarum interiit, miſit.

§. VIII.

Hæ ſunt plantæ, quas primus illustrabit Fasciculus. Paratæ ſunt diu non modo pro hoc, ſed etiam pro ſecuturis deſcriptiones; Inciſæ jam iconum Tabulæ 4, Proximis diebus prelo mandetur ipſe libellus. Nisi moram non exſpectataſt fererit Chalcographi tarditas, ad instantis anni



anni 1773. initium in Bibliopolis nostris prostatit Opusculum; fiat sic, ut procura-
tione Librariorum nundinas Lipsiensium paschales accendentium ubique gentium ha-
beri possit. Ne nitori & elegantiæ quid
decedat, nec interim multo charius, ac
hujusmodi opera alias solent, veneat, soli-
cite curabo. Si intelligentium Lectorum
benevolo exceptus judicio emptores facile
invenerit primus fasciculus, continuo se-
quetur alter, quem alias per tempus dif-
ferre, si non supprimere, cogar penitus.
Typographorum & Chalcographorum ope-
ra ubique chara, hic tamen multo, ac
apud exteris, charior, sumptus non leves
jam exegit, plures, antequam absolvatur,
poscit; & ut lucrum non petii, ita dam-
num nimium declinare æquum putavi.

§. IX.

Jam, quod mei intererat, dixi, ad
Vos jam, eximiæ spei Juvenes, lectionum
Botanicarum futuri Auditores, me con-
verto. Excusare, quæso, quod, qui proxи-
me elapsa æstate ad studium Botanicum
lingua patria excitavi, præsente, mutato
consilio,

consilio, lectiones latia indicem; factum
 est vestra, factum est exterorum Botani-
 corum, mea denique etiam causa factum
 est. Vestra, ne; selectu arguimenti ver-
 nacula aptioris, notitia tot pulcrarum spe-
 cierum, quibus industria Königii nostri
 & paucorum aliorum scientiam novissime
 auxit, careretis. Exterorum, ut scientiam
 in hac alma nostra, amari, coli, & pro-
 tenuitatem nostra promoveri coimperiant.
 Mea denique, ut commoda hac occasione
 instituti nuper expositi rationem extra Pa-
 triæ etiam limites evulgarem. Me, quem
 dicentem toties, elapsa maxime æstate,
 favore vestro & discendi ardore exhilar-
 rasti, frequentia magna cohonestatis, ne
 in prælectionibus, quas die 15. Junii,
 hora post meridiem 4ta., in horto Aca-
 demico, auspicor, deseratis rogo atque
 obtestor. Exemplo, quo vobis hic præ-
 ivi, herbas non confuso solum intuitu,
 sed contemplatione notarum seria perlustrare discite. Rationem Systematis, ex-
 plicationem Generum, Graminum inpri-
 mis, de quorum particula præsens agit
 commen-



commentatio, avide accipite. Adeste
hac & insequentibus horis auribus! Favete
animis! & nemini non Vestrum bene
cupientem, ut incepistis, ita
amare pergit!

Valete!